Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



per singulos annos mihi festa celebrabitis. Sollempnitatem azimorum custodies. Septem diebus azima comedes sicut preceptibi tempore messis novarum frugum quando egressus es de egypto.
Non apparebis in conspectu meo vacuus et sollempnitatem celebrabis mensis primitivorum operis tui quod seminasti in agro sollempnitatem quoque in exitu anni quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. Ter tanno apparebit omne masculinum tuum coram domino deo tuo. Non immolabis super fermento sanguinem hostiae tuae nec remanebit adeps sollempnitatis mee usque mane.
Primitias frugum terre tue deferes in domum domini dei tui. Non coquas edum in lacte matris tue.
Ecce ego mittam angelum meum qui precedat te et custodiat in via et introducat ad locum quem paravi. Observa eum et audi vocem eius nec contemnendum putes quia non dimittet cum peccatis et est nomen meum cum illo. Quod si audieris vocem eius et feceris omnia quae loquor inimicus ero inimicis tuis et affligam affligentes te. Ibitque angelus meus et introducet te ad amorreum et hetheum et pheresaeum chananaeum heveum et iebusaeum quos ego conteram. Non adorabis deos eorum nec coles eos nec facies opera eorum. Sed destrues eos et confringes statuas eorum. Servietis autem domino deo vestro ut benedicam panibus tuis et aquis et auferam infirmitatem de medio tui. Non erit infecunda nec sterilis in terra tua numerum dierum adimplebo. Terrorem meum mittam in praecursum tuum et occidam omnem populum ad quem ingredieris victorem et in fuga convertam te coram te terga hostium. Emittam crabones prius qui fugabunt eveum et chananaeum et hetheum atque in terras. Non eiciam eos a facie tua uno anno ne terra insolitudinem redigatur et crescat contra te bestiae paulatim expellam eos de conspectu tuo donec augearis et possideas terram. Ponam autem terminos tuos a mari rubro usque ad mare palestinorum et a deserto usque ad flumen. Tradam in manibus vestris habitatores terre et eiciam eos de conspectu vestro. Non inibis cum eis fedus nec cum diis eorum. Non habitent in terra tua ne forte faciant peccare te in me. Si servieris diis eorum tibi certe erit in scandalum.
Moysi quoque XXIII dixit deus. Ascende ad dominum tu et aaron et nadab et abiu et lxx seniores eritis. Et adorabitis dominum procul. Solus moyses ascendet ad dominum et illi non approximabunt nec plebs ascendet cum eo. Venit igitur moyses et narravit omnia verba domini atque iudicia. Responditque cuncta populus una voce omnia verba domini quae locutus est faciemus. Scripsit autem moyses universos sermones domini et mane consurgens edificavit altare ad radices montis et xii titulos secundum xii